

deat ex merito Dei beneplacito, quamvis, qui minor impedi-
menta ponit, sint minus indispositi, non possunt tamen di-
ci magis digni, aut magis idonei, neque quod sit magis con-
gruum illis dari, quam aliis, cum contrarium non raro contin-
gat, ut jam pluries observavimus.

Petes, quomodo intelligatur istud definitum contra Pela-
gianos: *Gratia non datur secundum merita?* R. sic intelligi, ut
gratia, sive actualis, sive habitualis, cujuscumque boni ope-
ris ad salutem pertinentis non detur propter nullum meritum,
sive de condigno, sive de congruo, quod ex viribus nostris
sine Dei gratia habeamus. Loquendo autem de meritis nostris,
quæ sunt ex gratia, dicendum est aliquam gratiam secundum
merita nostra dari. Justis enim secundum meritum strictè sum-
ptum datur & augmentum gratiæ, & gloria. Item omnis gra-
tia post primam actualem datur secundum meritum nostrum
saltem de congruo, neque tamen gratia sic secundum meri-
tum data desinit esse gratia, quia in sua radice est semper
gratuita. Et hinc verum est illud Aug. Deum sua dona cor-
onare, dum merita nostra coronat.

ARTICULUS VIII.

Utrum homo possit resurgere a peccato sine gratia?

Dico: homo non potest resurgere a peccato sine gratia.
(*Hic art. 7. o.*) Est de fide definita in Conc. Arausic. 2.
Can. 14. ubi dicitur: *Nullus miser de quantacumque miseria
liberatur, nisi qui Dei misericordia preuenitur:* Et Can. 19.
*Cum natura humana sine Dei gratia salutem non possit cus-
rodire, quam accepit: quomodo sine Dei gratia poterit reparare,
quod perdidit?* Est etiam ita aperta, & certa, ut ipse Pe-
lagius infensissimus gratiæ inimicus eam non negaverit, quam-
vis in hoc erraverit, quod voluerit hanc gratiam nostris me-
ritis dari.

Prob. 1. (*Id. in arg. s. c.*) Apost. ad Galat. 2. dicit, quod,
si data est lex, quæ potest justificare: ergo gratia Christus mor-
tuus est, id est, sine causa. Pari ergo ratione, si homo habet
naturam, per quam potest justificari, Christus gratis, id est,
sine causa mortuus est. Prob. 2. (*Id. o.*) Resurgere a
peccato non est tantum cessare ab actu peccandi, ut volunt
Sectarii, sed est hominem reparari ad ea, quæ peccando amis-
sit, consequenter liberari a malis, quæ per peccatum incur-
rit; atqui homo non potest sine gratia liberari a malis, & de-
trimentis, quæ per peccatum incurrit: ergo. Prob. Min. In-
currit homo triplex detrimentum peccando, scilicet maculam,
corruptionem naturalis boni, & reatum poenæ. Maculam in-
currit, in quantum privatur decore gratiæ, & hoc non potest
reparari nisi per ipsam gratiam. Bonum rationis corrumpitur,
in quantum natura hominis deordinatur, voluntate ejus Deo
non subjecta: hoc enim ordine sublato, consequens est, ut to-
ta natura hominis peccantis inordinata maneat. Iste autem or-
do reparari non potest, nisi Deo voluntatem hominis ad se
trahente, sicut dictum est. Tandem reatus poenæ est, per
quem homo peccando mortaliter meretur damnationem æternam:
iste autem reatus remitti non potest, nisi a Deo, in quem
est offensæ commissa, & qui est hominum iudex: ergo.

Observandum, esse aliquam imperfectam resurrectionem,
& vivificationem, ad quam licet non requiratur gratia habitua-
lis, requiritur tamen actualis, eam scilicet, qua peccator prius-
quam remissionem, & gratiam sanctificantem recipiat, dolet de
peccatis propter Deum, ipsum diligere incipit, & ad ejus re-
conciliationem aspirat. Et de illa resurrectione imperfecta pos-
test intelligi illud c. 5. ad Ephes. *Surge, qui dormis, & exur-
ge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Unde iure damnata
est hæc 64. propositio Bajæ: *Ille distincto duplici vivificatio-
nis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentia, &
vita novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur;
alterius, qua vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vi-
vus in Christo efficitur, commentitia est, & scripturis minime
congruens.*

ARTICULUS IX.

*Utrum homini justificato necessaria sit gratia actualis ad
singulos pietatis actus?*

Quoniam ad actus moraliter bonos, dixi art. 3. §. 3. hujus
Dissertat. hominem peccatorem posse aliquos facere cum
solo concursu generali, qui tamen aliquo sensu, sci-
licet respectu hujus hominis, cui præ alio datur, sit gratui-
tus, & specialis. Idem a fortiori dicendum est de homine justo.
Articulo 5. & 6. ejusdem præsentis Dissert. dixi hominem pec-
catorem non posse sine gratia servare omnia legis naturalis
præcepta, vitare omnia peccata, & vincere omnes tentatio-

nes contra eandem legem: & in fine articuli 5. addidi homini
etiam justo esse necessariam gratiam specialem ad diu servan-
da omnia præcepta moralia, & vitanda omnia peccata con-
tra legem naturalem; quia, ut ratiocinatur hic Auctor (*Hic
art. 9. o.*), licet gratia sanctificans sanet naturam quantum ad
mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum
ad carnem, per quam servit legi peccati; remanet etiam quæ-
dam ignorantia obscuritas in intellectu; ex quibus exurgit spe-
cialis difficultas ad diu standum in bono, pro qua vincenda
requiritur specialis gratia. Conformiter ad hæc, proportione ser-
vata, resolvenda est præsens difficultas de actibus superna-
turalibus pietatis & salutis.

Dico: (*Id.*) Homini justificato, præter gratiam habitua-
lem, & virtutes infusas ei annexas, necessaria est ad singulos pie-
tatis actus generalis motio Dei ut Auctoris supernaturalis; eaque
sufficit ad aliquos, quæ tamen debet dici aliquo sensu spe-
cialis, & gratuita. Ut autem diu homo justificatus in illis perse-
veret requiritur gratia specialis superaddita. Prob. 1. pars ex
principio generali Auctoris (*Id. & art. 1.*) Quantacumque na-
tura aliqua corporea, vel spiritualis ponatur perfecta, non
potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo ut se-
cundum movens motum a primo. Sicut ergo potentia natura-
les, scilicet voluntas, & intellectus, etiam ut informatæ vir-
tutibus acquisitis, quæ dant posse facere actus moraliter bo-
nos, ut de facto faciunt, indigent applicari, & moveri per mo-
tionem generalem Dei, ut Auctoris naturalis; ita eadem po-
tentia ut informatæ gratia, & virtutibus infusis, quæ dant posse
facere bonos actus supernaturales, ut de facto faciunt, in-
digent motione generali Dei ut Auctoris supernaturalis. Prob.
2. pars. Sic se habent gratia sanctificans, & virtutes infusæ
ei annexæ ad supernaturales actiones, sicut natura, & natu-
rales potentia ad actiones naturales: atqui natura etiam corrup-
ta potest aliquod opus bonum morale facere cum solo con-
cursu generali ordinis nature absque speciali gratia superaddita,
ut dictum est art. 3. superiori: ergo gratia & virtutes infusæ
cum solo generali auxilio supernaturali possunt aliquod bonum
opus supernaturale facere.

Tertia pars patet ex dictis art. 1. & 3. §. 4. hujus Dissert.
Quia, quamvis concursus generalis ordinis supernaturalis ad ali-
quod bonum supernaturale sit debitus nature informatæ gratia,
& virtutibus infusis, sicut concursus generalis ordinis naturalis
ad aliquod bonum naturale est debitus nature secundum se,
quia nempe Deus secundum leges communes providentiæ move-
vet unumquodque secundum suum modum, & suam disposi-
tionem; attamen, cum natura etiam ut elevata per gratiam,
& virtutes supernaturales feratur in bonum variabiliter &
ab illo sit defectibilis, non enim, ut suppono, est firmata in
bono) hinc fit, quod, quamvis illi sic elevata debeat generalis
motio, qua aliquando elicit actus sibi proportionatos,
non tamen ut semper & indefectibiliter elicit: quod ergo illi
individuo detur hic, & nunc, & non alteri, est ex speciali
gratia. Unde, ut ibidem observavimus, hæc motio generalis,
considerata respectu nature, ut elevata non est specialis, nec
gratuita. Non gratuita, quia debetur aliquo modo nature sic
dispositæ; non specialis, quia datur secundum leges commu-
nes providentiæ supernaturalis, quæ naturam defectibilem move-
vet quandoque ad bonum suæ dispositioni proportionatum, quan-
doque permittit deficere. At, considerata respectu ad hunc
hominem justum, cui præ altero datur, est specialis, & gra-
tuita; quia quamvis natura elevata secundum se exigit quan-
doque moveri in bonum supernaturale, ut dictum est, id ta-
men non exigit iste homo potius, quam alter: quod ergo iste
moveatur in bonum, a quo alter deficit, & a quo ipse deficere
poterat, est ex speciali, & gratuito auxilio. Confer, quæ dixi
locis cit.

Prob. 4. pars 1. (*Id.*) Quia propter infectionem quantum
ad carnem, & ignorantiam quantum ad intellectum, quæ re-
manent in homine justificato, ut dictum est, difficillimum est
illi inter continuos conflictus, & tentationes, atque in tanta
obscuritate, diu perseverare in bono supernaturali, nisi spe-
ciali gratia, viribus jam habitis superaddita, roboretur & ad-
juvetur.

2. (*3. contr. Gent. c. 155. & 2. 2. quest. 137. art. 4.*) Quia,
cum liberum arbitrium de se sit veribile, & hoc ei non tol-
latur per habitualem gratiam præsentis vite, non subest pos-
testati liberi arbitrii etiam per gratiam separati, ut se immo-
biliter in bono statuatur; licet sit in potestate ejus, quod hoc
eligat, plerumque enim cadit in nostra potestate electio; sed
non executio: ergo ad hoc requiritur specialis gratia super-
addita.

Et ita eruitur ex Conc. Arausic. 2. can. 10. in quo sic de-
finitur: *Adjuvatorum Dei in renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad bonum finem pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Ubi pro utraque perseverantia finali, & diuturna

requiritur specialis gratia. Similiter Trid. Sess. 6. Can. 2. de
perseverantia indefinitè loquens, statuit sic: *Si quis dixerit jus-
tificatum vel sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perse-
verare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.*

Conclusio sic explicata & probata, præsertim quoad 2.
& 3. partem, conciliat sententias apparenter contrarias, ut jam
notavimus sæpe dicto art. 3. Habemus ex una parte, gratiam
specialem esse necessariam ad singulos pietatis actus, quod
præterdit una sententia. Ex alia parte habemus, non esse ne-
cessariam gratiam specialem superadditam, sed sufficere mo-
tionem generalem ordinis supernaturalis, quæ sit tamen res-
pectu personæ specialis & gratuita; quod negare non potest
altera sententia: sique solvuntur objectiones, quæ fiunt ex
utraque parte.

Dices contra 4. partem: Ad diu observanda præcepta superna-
turalia, & vincenda contra illa tentationes quovis tempore suffi-
cient minima charitas: ergo non requiritur gratia specialis superad-
dita, ut justus diu perseveret in bono.

R. D. Ant. Sufficit minima charitas in actu primo & per
modum habitus, quo quis utitur, cum vult, C. Sufficit in actu
secundo, & ut semper velit, N. Cum enim homo, non obsta-
nte charitate, sit, ut, dictum est, veribilibus, continuisque
impugnetur hostibus & tentationibus, ut semper actu velit
perseverare, & diu perseveret in bono, indiget speciali gratiæ
auxilio.

Subsumes: atqui hæc gratia, & motio specialis atque pro-
tectio, qua velit actu perseverare, & de facto perseveret, est
debita justo secundum ordinariæ Providentiæ cursum: ergo non
debet dici specialis, sed generalis. Prob. Ant. Justus est Dei
amicus; atqui Deus debet amicis hanc amabilem motionem &
protectionem: ergo.

R. N. Ant. Ad probationem D. Min. Deus debet amicis hanc
amicabilem motionem & protectionem, quoad diu non desunt
ejus gratiæ, & amicitia, C. Si desint, N. Deus autem non de-
bet etiam amicis, ut nunquam desint ejus gratiæ; quia justus
in hac vita sunt veribilibus & defectibilibus, & Deus unicuique
providet secundum suum modum; unde non debet eis auxi-
lium præservans a propria defectibilitate; sed quibus datur, mi-
sericorditer datur.

ARTICULUS X.

*Utrum homo in gratia constitutus indigeat speciali auxilio
gratia ad finaliter perseverandum?*

Non agimus hic de perseverantia sumpta pro virtute, sed
habitu inclinante ad eligendum & proponendum perse-
verare; neque de ipso proposito perseverandi; sed de ipso ac-
tuali exercitio perseverantia in bono usque ad finem vite. Per-
severantia sic sumpta potest accipi dupliciter: 1. Pro diuturna
continuatione in gratia & bonis operibus usque ad finem vite,
ut plerumque contingit in adultis. 2. Pro conjunctione gratiæ cum
morte sine diuturna continuatione, ut contingit in pueris post
Baptismum morientibus; aut etiam in adultis, paulo post adep-
tam, sive per Baptismum, sive per aliud Sacramentum, justifi-
cationem decedentibus.

Dico: (*Hic art. 10. o.*) Ad perseverantiam finalem, sive
diuturnam, sive brevem, & brevissimam, requiritur speciale
auxilium. Prima pars de perseverantia finali diuturna patet ex
4. parte Conclusionis articuli præced. Restat ergo difficultas
de 2. parte. Et quantum ad adultos currit 2. ratio dicte Con-
clusionis præced. desumpta ex veritabilitate liberi arbitrii. Sed
generaliter de omnibus & parvulis & adultis prob. 2. pars: 1.
ex Can. laudato Concilii Arausic. qui distinguit perseverantiam
sumptam pro assuetione finis, & sumptam pro diuturna con-
tinuatione in bono, & ad utramque requirit auxilium specia-
le, quod est semper implorandum a Sanctis. Similiter Trid.
sit ad perseverantiam simpliciter & indefinitè requirit auxilium
speciale.

2. Auctoritate Aug. qui toto libro de dono persev. hanc
veritatem adversus Semi-Pelagianos propugnat. 3. Juxta eun-
dem Aug. ibid. c. 2. omnes justus, dum in Oratione Dominica
dicunt: *Adveniat Regnum tuum*, petunt perseverantiam talem,
sive diuturnam, sive brevissimam, quæ conjungat gratiam
cum morte, ad quam scilicet conjunctionem sequatur assuetio
regni: *cui autem*, inquit ibid. S. Doct. *perseverantia ista
poscitur a Deo, si non datur a Deo? Nonne ista irratoria
petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non da-
re, sed ipso non donante esse in hominis potestate?* ergo. 4. Qui
etiam brevissimo tempore perseverat usque ad finem vite,
habet verè & propriè donum perseverantia; atqui donum
perseverantia secundum definitiones Conciliorum & Patrum
est specialis gratia: ergo. Min. patet ex Conciliis cit. Item ex
eodem Concil. Trid. Sess. 6. can. 16. & ex Aug. de dono per-
severantia. Pars Secunda.

sever. c. 2. a quibus perseverantia vocatur *Magnum Dei do-
num.* Et c. 17. *Videte*, inquit, *quantum sit à veritate alienum
negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus
vite, cum vite hinc, quando voluerit, ipse det finem, quem
si dat ante imminente lapsum, faciet hominem perseverare
usque in finem. Sed mirabilior & fidelibus evidenter largitas
bonitas Dei est, quod etiam parvulis... datur hæc gratia.*
Major est etiam expressa ejusdem Aug. sententia ibid. c. 1.
Hanc certe, inquit, *de qua nunc agimus, perseverantiam, qua
in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse
dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem; potiusque
hanc habuit unus amicus fidelis, & quantum multorum ano-
test, si donec moriatur fideliter vivit, quam multorum ano-
rum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate de-
fecit: ergo, juxta Aug. ille habet donum perseverantia, qui
usque ad finem perseverat per unum annum, Vel infra cogitari
potest; id est, vel etiam per unum diem, aut unam horam; ea-
que est notio perseverantia finalis, per quam nihil aliud in-
telligimus, quam conjunctionem gratiæ cum morte ex efficaci
intentione gloriæ, sive continuatione in bono diu, vel parum
duraverit. 5. Conjunctio gratiæ cum morte est proprius effectus
specialis providentiæ, nempe prædestinationis; solis enim
prædestinatis convenit, & nulli alteri: ergo habetur per speciale
auxilium.*

Petes, in quo consistat istud speciale auxilium?

Suppono, donum perseverantia includere, non solum au-
xilium sufficiens, quo homo potest perseverare, sed etiam ef-
ficax, quo de facto perseverat: *De illa perseverantia loquimur*,
inquit Aug. de dono persev. c. 6. *qua perseveratur usque in fi-
nem; qua si data est, perseveratum est usque in finem; si
autem non est perseveratum usque in finem, non est data.* Et
libr. de corrept. & grat. c. 12. *Datur sanctis donum, quo non
nisi perseverantes sint.* Ibid. *Subvenum est igitur infirmitati
voluntatis humane, ut divina gratia indeclinabiliter & insu-
perabiliter ageretur; & idcirco, quamvis infirma, non tamen de-
ficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Hoc supposito, R.
ad petitionem hoc auxilium non consistere in alio indivisibi-
li, neque eodem modo omnibus dari, sed plura includere &
intrinseca & extrinseca. Cum enim donum perseverantia finaliter
consistat in conjunctione gratiæ cum fine vite ex efficaci
gloriæ intentione imperata, illam Deus singulari providentiæ variis
modis procurat: quibusdam accelerando mortem, ne cadant;
aliis prorogando vitam, ut respiciant; aliis subtrahendo pe-
ricula & tentationes, aut eas temperando; quæ omnia perti-
nent ad auxilia extrinseca, aliis in periculis & tentationibus consti-
tutus vires augendo, ut vincant, & insuperabiliter atque inde-
clinabiliter stent in bono usque ad finem; & hæc pertinent ad
auxilia intrinseca.

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. Perseverantia finalis est conjunctio gratiæ cum mor-
te; atqui homo justus potest cum auxiliis communibus
gratiæ annexis se aliquamdiu conservare in bono, saltem si iso-
brevi intervallo nulla, aut levis tentatio occurrat, & in-
terim potest mors contingere ex causis naturalibus; hæc enim
non est Dei donum, sed poenæ peccati: ergo sine gratia spe-
ciali potest homo justus perseverare finaliter. R. D. Maj. Per-
severantia finalis est conjunctio gratiæ cum morte casualis, &
per accidens contingens, N. est conjunctio per se volita ex ef-
ficaci gloriæ intentione, C. Nemo enim dicit, salutem & præ-
destinationem hominis esse casualem & fortuitam. Admittenda
est ergo aliqua causa per se hujus conjunctionis; quæ non est
alia, quam intentio Dei efficacis conferendi prædestinato glo-
riam, & inde manans auxilium efficacis ad conjungendam gra-
tiam cum morte. Unde, cum dicitur in minori, quod interim
mors accidit ex causis naturalibus, & non sit donum Dei,
distinguo: Mors considerata secundum rationem communem,
qua convenit hominibus & brutis, est ex causis naturalibus,
nec est donum Dei, C. Considerata ut conditio requisita
ad habendum statum immobilem in gratia, N. Sub ista enim
ratione providetur a Deo per singularem curam juxta quod
dicitur Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum
ejus.*

Inst. 1. Justus habet virtutem perseverantia infusam, si-
cut alius virtutes infusas gratiæ annexas: ergo, cum illa perse-
verare potest. R. D. Conseq. ergo cum illa perseverare po-
test potentia antecedente; C. Potentia consequente, N. alio-
quin, & omnes justus perseverarent, & qui non perseverarent,
non haberent virtutem perseverantia & quisquis non ageret,
non haberet virtutem agendi, quæ omnia sunt falsa. Hæc au-
tè non est questio, an ad posse perseverare requiratur auxi-
lium speciale, sed an ad perseverandum actu, ut notavimus ex
Aug.

Inst. 2. & subsumes: atqui habenti virtutem perseverantiam debetur secundum communem providentiam auxilium ad perseverandum actu: ergo. Prob. Subsumptum: Unicusque formae debetur auxilium ad ejus operationem: ergo. R. N. Subsumptum. Ad Prob. D. Ant. Unicusque formae debetur auxilium ad ejus operationem secundum conditionem subjecti, in quo est, C. Præter conditionem subjecti, N. Est autem virtus perseverantia in subjecto veritabili & defectibili; unde, quod non permittatur deficere, est ex speciali auxilio.

Inst. 3. Habenti gratiam debetur gloria: ergo a fortiori debetur auxilium pro continuatione gratiae cum gloria. R. N. Consequens. Quia, quamvis homini habenti gratiam debeat gloria, quamdiu manet in gratia; non tamen ei debetur, ut invariabiliter conservetur in gratia usque ad mortem, quia est naturae veritabilis & defectibilis.

Obj. 2. Deus semel justificatum non deserit: nisi prius ab eo deseratur, ut definit Trid. Sess. 6. cap. 11. atqui, si necesse foret auxilium speciale justo ad perseverandum, quod Deus pluribus justis denegat, desereret illum, priusquam ab eo desereretur: ergo. R. Juxta illos, qui illam desertionem intelligunt per subtractionem gratiae habitualis, Deum illam non subtrahere, priusquam homo ipsum offendat mortaliter, sicque non deserere justum, priusquam ab eo deseratur. R. 2. Juxta alios, qui illam desertionem intelligunt per subtractionem gratiae actualis, etiam Deum non deserere justum, priusquam ab eo deseratur; quia non subtrahit auxilium efficacis gratiae, nisi homo gratis sufficientibus, quae dant posse, prius sua culpa desit, juxta illud Trid. Sess. 6. cap. 13. ubi agit de dono persever. *Deus, nisi ipsi illius gratia deserunt, sicut*

capit opus bonum; ita perficiet operans velle, & perficere. Sed si quaras, quare non dat omnibus justis gratiam efficacem, qua non desit sufficienti? R. ex dictis, quia homo quantumvis justus est veritabilis & defectibilis, & Deus unumquemque movet secundum modum suum. Si ulterius quaras, quare dat isti, & denegat illi, R. cum Aug. de dono persever. c. 9. *instructabilia esse ejus judicia.*

Petes 1. Utrum Angelis, & primo homini in statu Innocentiae necessarium fuerit auxilium speciale ad perseverandum? R. Affirmative. Idque probat principium D. Thom. (3. *contr. gent. c. 155. & 2. 2. quæst. 137. art. 4.*) scilicet omne defectibile & variabile reducendum esse ad aliquid invariabile & indefectibile, a quo habet, ut non deficiat, sed permaneat in bono; liberum autem arbitrium in statu Innocentiae erat variabile & defectibile: ergo ut non deficeret, sed permaneret in bono, ad aliquid invariabile & indefectibile debebat reduci, nempe ad voluntatem Dei auxiliantem. Igitur non erat quidem in Adamo & Angelis infirmitas sananda, sed erat instabilitas regenda, & firmanda. Nulla erat agendi difficultas, sed erat magna cadendi facilitas, ut eventus probavit. Verum de hac gravi difficultate plusquam satis dixi Dissert. 2. præambula hujus Tract. art. 4. require ibi.

Petes 2. Utrum donum perseverantiae finalis sit idem, ac donum confirmationis in gratia? R. Negative. Quia donum confirmationis in gratia dat non posse peccare sive mortaliter, sive venialiter, secundum modum quo datur. At donum perseverantiae finalis, remanente potentia peccandi, dat tantum non peccare mortaliter usque ad mortem. Unde est commune omnibus prædestinatis; non donum confirmationis in gratia.

DISSERTATIO IV.

DE ESSENTIA GRATIAE.

D. Thom. Quæst. 110.

Quæstio est præcipue de gratia habituali & sanctificante, quæ per antonomasiam appellatur gratia, per quam scilicet constituitur filii Dei & hæredes regni, & ad quam reducitur gratia actualis sicut dispositio ad formam, & motus ad terminum, ut jam dictum est; quæque ideo non constituit speciem distinctam a gratia habituali.

ARTICULUS I.

Utrum gratia sit donum anime intrinsecum?

Negant Lutherani & Calvinistæ; qui volunt hominem, etiamsi peccatorem & in peccatis perseverantem, esse Deo gratum & amicum denominatione extrinseca, nempe per imputationem justitiæ Christi, cujus intuitu Deus ipsum diligit, ejus peccata dissimulat, eumque habet filium & hæredem; modo tamen per fidem internam veluti per conditionem firmiter credat & condat Deum sibi propter merita Christi peccata, etiamsi usque ad finem vitæ continuata, condonaturum. Quam pestifera, quam horrenda sit hæc doctrina, nemo non videt, utpote patentissimam omnibus flagitiis viam aperientem. Contra quos

Dico: (Hic quæst. 110. art. 1. o.) Gratia habitualis gratum faciens est Dei donum anime intrinsecum. Est de fide, decisa in Concil. Trid. Sess. 6. Can. 11. his verbis: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhereat; aut etiam gratiam, quæ justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.* Hanc veritatem passim clamat Scriptura, & ut ex innumeris pauca seligam: Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam. Postea, Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri.* 2. Petr. 1. *Maxima & pretiosa promissa nobis donavit, ut per hæc efficiamini consortes divine nature.* Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ est in te.* 2. Tim. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te.* Quid expressius Insuper 1. Joann. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* 2. Cor. 1. *Signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Joann. 4. *Qui viderit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Porro semen insitum, pignus commissum, sigillum impressum, fons aquæ e corde scaturiens, importat aliquid ani-

me intrinsecum. Hinc Aug. 1. 1. de peccat. merit. c. 9. *Deus, inquit, dat sui Spiritus oculissimam fidelibus gratiam, quam lateat infundit & parvulis.*

Prob. ratione. (Ib.) Gratia est, qua Deo grati sumus, & ab ipso diligimur; non enim hic per gratiam quodvis beneficium gratis datum intelligimus, sed id, quo homo est Deo gratus & acceptus, atque ab ipso dilectus, seu est ipsa divina dilectio ex parte Dei, & terminus illius ex parte hominis; atqui hujusmodi gratia non dicitur amorem Dei extrinsecum, sed importat aliquid in anima intrinsecum: ergo. Prob. Min. Amor humanus & divinus in hoc conveniunt, quod respiciant bonum; sed in hoc differunt, quod amor humanus, cum sit sterilis & affectivus tantum, non efficit bonum, quod diligit, sed supponit. At vero amor Dei, cum sit potentissimus & efficacissimus, neque solum affectivus, sed effectivus est enim causa totius bonitatis creature, quæ a se bonum habere non potest. Bonum non supponit, sed efficit: ergo fieri non potest, ut Deus hominem diligit & gratum habeat, quin ipsum bonum efficiat secundum modum, quo ipsum diligit: ita ut si diligit ipsum in ordine naturali, faciat ipsum bonum naturaliter, conferendo ipsi bona naturalia, esse, vivere, &c. Si in ordine supernaturali, faciat ipsum bonum supernaturaliter, conferendo ipsi bonum supernaturale, quo fit ipsi gratus & amicus in ordine ad finem supernaturalem.

Dices contra hanc rationem Auctoris: Isaias 43. dicitur *Ex quo honorabilis factus es & gloriosus in oculis meis, ego dilexite*: ergo dilectio Dei non facit, sed supponit bonitatem in homine. R. N. Consequens. (In c. 43. Isa.) Quia tunc ibi non significat causam, aut prioritatem, sed concomitantiam tantum & effectum dilectionis Dei, ita ut sensus sit: ex quo feci & reputavi te honorabilem, &c.

Inst. Deus diligit prædestinatos; atqui tamen non semper ponit in eis aliquid supernaturale, scilicet dum sunt in peccato: ergo. R. neque Deum diligeret amore efficacis prædestinatum, quando est in peccato.

Repones: Esto amor Dei sit efficacis; inde sequitur tantum quod causat in homine aliquid auxilium supernaturale, non necessario gratiam habitualement: ergo. R. N. Sequelam. Hic est enim quæstio de amore Dei, non qualicumque, sed perfecto, quo vult homini beatitudinem supernaturalem tanquam filio & hæredi; ex quo amore debet causari talis gratia, per quam participet naturam divinam, cui debetur beatitudo ut hæreditas.

Pro cuius, & aliarum difficultatum elucidatione observandum est, triplicem distingui in Deo dilectionem: Primam me-

re naturalem, qua diligit omnes creaturas in ordine naturali, juxta illud Sap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti;* & per eam communicat homini bona naturalia, esse, vivere, intelligere, &c. Alteram supernaturalem, sed imperfectam, qua hominem diligit imperfectè, & inchoativè in ordine ad æternam beatitudinem; & per eam ei communicat virtutes quasdam, fidem, spem, & auxilia transeuntia, quæ possunt compati cum peccato, & odio Dei. Tertiam tandem perfectè supernaturalem, qua simpliciter, & perfectè diligit hominem in ordine ad æternam beatitudinem; & per eam ipsi communicat gratiam habitualement, qua fit simpliciter Deo gratus, & amicus, particeps divine nature, & hæres regni cælestis.

De hac materia iterum rediit sermo contra Hæreticos, dum de justificatione.

ARTICULUS II.

Utrum gratia sit qualitas anime?

Positio, quod gratia sit aliquid creatum anime intrinsecum, quærimus modò, quid sit, & ad quod prædicamentum entis creati pertineat?

Quantum ad gratiam actualem, qua Deus adjuvat hominem, movendo ipsum ad aliquid, vel cognoscendum, vel volendum, vel agendum, resolvit Auctor (Hic quæst. 110. art. 2. o.) non esse qualitatem, sed motum quemdam anime; quia actus movens in moto est motus. Observandum tamen, quod ille actus, si consideretur in facto esse tanquam terminus productus a potentia vitali, Deo operante, possit dici qualitas incompleta habens se per modum passionis transeuntis. Dixit autem Auctor absolute, non esse qualitatem, quia hunc actum Dei movens consideravit in fieri; & quia non est quid fixum, & permanens, prout intelligitur qualitas, quando loquimur de illa secundum quod distinguitur a passione.

Verum inde colliges juxta S. Thom. gratiam actualem, qua Deus movet ad agendum, esse aliquid a Deo distinctum, & ab ipso causatum. Dicit namque esse effectum gratuitum divine voluntatis, & motum, seu motionem anime, quam Deus tribuit potentis, ut exeat in actum. Colliges item, esse etiam aliquid distinctum ab operatione hominis; quia datur ad hoc, ut homo eliciat suas operationes, estque earum principium effectivum. Insuper gratia est a solo Deo, operatio autem est a Deo, & homine. Hinc occasionaliter dicitur, ut redeamus ad gratiam habitualement, de qua, ut dixi, præcipue est hic quæstio.

Dico: Gratia sanctificans est quædam anime qualitas, seu donum habituale permanens in anima. Prob. 1. ex Scripturis art. præced. laudatis, in quibus gratia dicitur semen, pignus, sigillum, fons; hæc enim significant donum permanens: & Joann. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Prob. 2. ex Concil. Trid. etiam cit. definitur gratiam cordi inherere: & cap. 16. *Justitia, inquit, nostra dicitur, quia per eam nobis inheretem justificamur.* Hanc doctrinam, quam Trid. hic definit tanquam de fide, Concil. Viennense jam elegerat ut probabiliorum Clement. de fide, his verbis: *Opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo gratiam informantem, & virtutes, tanquam probabiliorum... duximus eligendam.*

Prob. ratione Auctoris (Ibid.): Non est conveniens, quod Deus minus provideat his, quos diligit ad bonum supernaturale habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum; atqui creaturis naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas, & virtutes quasdam, quæ sunt principia tam radicalia, quam proxima actuum, ut secundum se ipsas inclinentur ad hujusmodi motus, & sic motus, quibus a Deo moventur, sint creaturis connaturales, & faciles, secundum illud Sap. 8. *Disponit omnia suaviter.* Ergo multo magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter, & promptè ab ipso moveantur ad æternum consequendum: iste autem forme supernaturales sunt gratia, & virtutes infusæ, gratia ut principium radicale operationum supernaturalium, virtutes ut principium immediatum.

Petes, utrum sit de fide gratiam sanctificantem esse rigoroſe, & philosophicè qualitatem, seu habitum. R. negative. Ità tamen esse, est certò tenendum. Prima pars patet. Quia Concilia, tam Trid. quam Viennense, consultò abstinuerunt a vocibus *Qualitatis*, & *habitus*, ne quæstionem de nomine inter Theologos controversam definirent. Unde videtur, quod ille fidei satisfecerit, qui teneret gratiam sanctificantem esse donum habituale internum distinctum ab actu, anime permanentè inherens, sive sit propriè, & philosophicè qualitas, seu habitus, sive quidquid aliud. Secunda pars etiam patet: Quia hæc Theol. Billaart. Pars Secunda.

bitus propriè est qualitas permanens difficilè mobilis, disponens subiectum ut bene, vel malè se habeat in suo esse, vel operari; atqui gratia sanctificans est permanens, ut patet ex dictis; est difficilè mobilis, quantum est ex se, & suis principis, nempe innixa influxu divino, ex se importans inclinationem contrariam peccato, quod est ejus destructivum, licet per acciendens ratione status, & subiecti possit facilè moveri; & tandem hominem de se indifferentem ad bonum, & malum disponit, ut bene se habeat circa divina: ergo.

Neque obstat, Auctorem quæst. 27. de verit. art. 2. ad 7. dicere gratiam non esse propriè habitum; intelligit enim habitum immediatè operativum, prout communis usurpat a Philosophis, qui in prima specie qualitatis reponebant tantum habitus proximè operativos: Gratia autem proximè ordinatur ad tribuendum esse supernaturale, & mediatè, per virtutes scilicet infusæ, ad operandum supernaturaliter. Hanc esse mentem S. Thom. patet ex ratione, quam subjungit: *Quia, inquit, non immediatè ordinatur ad actum, sed ad quoddam esse spirituale, quod in anima facit.* Insuper dicit ibidem, gratiam esse in prima specie qualitatis.

ARTICULUS III.

Utrum gratia sanctificans sit formalis, & physica participatione nature divine?

Gratiam esse aliquam naturæ divine participationem, nullus negat propter expressa Scripturæ, & Patrum testimonia. Sed quæ, & quomodo sit intelligenda, dubitatur. Quidam dicunt, esse tantum moralem, consistentem in rectitudine voluntatis, & imitatione sanctitatis, & justitiæ Dei in suis operibus; eo sensu quo, qui imitantur fidem Abraæ, dicuntur ejus filii; qui imitantur malitiam Diaboli, dicuntur ejus filii; quamvis physicè non sint ex his nati. Alii, & communius dicunt, esse participationem physicam; at non sic intelligenda est ista participatio physica, quasi per gratiam natura divina quoad essentiam communicetur homini, sicut in humanis natura parentis communicatur filio; hoc enim modo solum communicatur natura divina intra Deum divinis personis; sed intelligenda est accidentaliter per similitudinis participationem, seu per donum aliquod ab ipsa natura divina distinctum, eam analogicè, & imperfectè imitans, ac exprimens. Quo sensu

Dico: Gratia est formalis, & physica participatio divine nature. (Hic quæst. 110. art. 3. & 4. & quæst. 112. art. 1.) Prob. 1. ex illo celebri, & expresso testimonio Principis Apost. Ep. 2. c. 1. *Per ipsum (Christum) maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divine consortes nature.* Item Scriptura passim testatur, justos per gratiam ex Deo generari, nasci, renasci, & filios Dei fieri. Jacob. 1. *Volunt autem genui vos verbo veritatis, ut simus initium aliquid creature ejus.* Joann. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.* Joann. c. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semper ipsius in eo manet, & peccare non potest, quoniam ex Deo natus est.* It cap. 5. *Qui natus est ex Deo, non peccat; sed gratia Dei conservat eum.* Et plura alia similia; atqui per generationem, & nativitatem natura communicatur, isque solus filius dicendus est, qui Patris naturam refert: ergo.

Si dicas, hæc omnia posse intelligi de participatione morali; Contra: Verba, quibus Deus dona sua commendat, non sunt exaggerativa, neque hyperbolica, quasi plus exprimat, quam re ipsa sint, sed potius sunt infra magnitudinem donorum. Non enim Deus est, ut homines, qui parva dona magnificis verbis extollere soleat, sed ejus dona, ac promissa verborum expressionem superant, juxta illud Apost. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum;* atqui si gratia non sit propria, & physica participatio divine nature, sed moralis tantum, verba, quæ illam participationem expriment, quod scilicet simus consortes divine nature, nati ex Deo, & filii Dei, erunt exaggerativa, & hyperbolica, nec proprio sensu vera, sed improprio, & diminuto; qui enim rem moraliter tantum participat, illam improprio, & diminuto participat: ergo. Adde juxta regulam Aug. Scripturam proprio, & obvio sensu intelligendam esse, ubi nullum occurrit inconveniens; atqui nullum est inconveniens, quod gratia sit physica, & propria participatio divine nature: ergo.

Prob. 2. Per naturam divinam intelligimus id, quod in Deo concipitur, ut radix divinarum perfectionum, & principium radicale divinarum operationum, scilicet seipsum intuitivè videndi, seipsum amore beatifico diligendi, omnia extra se prop-